


1674



Viro Perillustri Constantino Hugenio C. F.

S. P. D.



Joannes Georgius Craevius.

Jampridem credo desideras officium meum in persolvendo gratiarum munere, quod olim Tibi debeo pro singulari Tuo in me studio, insignique opera, quam mihi navigasti apud Serenissimum Principem Aransiacum, cum in Eius me posuisti gratiam, ac diploma ab Illo abtulisti, quo meae fortunae in tutum collocantur. Sed pudebat me pro tantis Tuis beneficiis tam vili verborum munere defungi. Sunt dudum non nulla sub proclis opuscula, quorum editio de die in diem a typographis, mortaliū lentissimis differtur, qui modo de penuria chartae conqueruntur, modo alia procrastinandi nomina inveniunt, cum tamen paucula quaedam ab aliquot mensibus restent folia profliganda. Horum librorum expectatio retardavit meam scribendi voluntatem. Nam ne plane manes essent meae litterae, nolebam sine illis lucubrationibus eas ad te pervenire, ut essent interea praedes meae gratiae voluntatis ac observantiae erga Te perpetuae, donec luculentioribus pignibus Tibi eam possem probare. Verum cum spe publicationis me laetari videam, nec exploratum mihi sit quando tandem ex diuturno libranorum carcere in lucem hi libri sint emeraturi, nolui diutius a tantorum cunctatorum frustrationibus meam fidem officiique religionem pendere, ne illorum cessatio mihi notam exaspistas inurat. Quae autem Tibi laudes gratesque agam sane non invenio, qui ita de me meritus es, ut vix animo complecti queam, quantum Tibi debeo, ne dum ut scribendo consequi possim. Quid enim fieri a te potuit amabilius, si de filii Tui dignitate esset actum? Quae clarior prolixae Tuae erga me literasque voluntatis potuit dari significatio, quam cum omnem gratiam, qua flores apud Serenissimum Principem, impendisti, ut in turbulentissimis tempestatibus mihi tranquillissimum portum patefaceres? Haec sic habeo nihil excogitari a me posse, licet in hac cura cogitationes omnes defigam, quo testatum faciam

72

quantum tua causa & debeam & velim. Patere quaeso hoc unum esse Tibi certissimum summae meae erga Te observantiae & amoris argumentum, quod nullum a me ~~certum~~ ^{certum} possit ~~certum~~ tam illustre, quo quantus sit declarari queat. Voluntatem ~~certam~~ referendae gratiae semper praec me feram, eamque rebus pro mea facultate demonstrandi nullam non occasionem omni sedulitate captabo. Rem ab Incomparabili Arausionensi Principe praeclarissime gestam esse nuper in Nervii, tantisque animis concussam, ut cruentius proelium a multis annis vix fuerit commissum, omnium hominum sermonibus & ipsorum hostium testimonio celebratur. Utinam non cum iniquitate locorum nostris fuisset magis conflictandum, quam cum hostibus. Sed tanto victoria est illustrior, quanto res majoris fuit discriminis. Faxit Deus ut brevi debelletis, & felix exitus calamitissimi belli appropinquet, utque vos incolumes ^{propediem} ~~certum~~ sic complectamur. Quem diem si viderimus nihil fieri nobis poterit beatius. Habeo non pauca narranda de re litteraria, ex Italia & Hispaniis modo ad nos perlata, sed ea differo in Tuum desideratissimum reditum. Ineptissimus enim essem mortalium, si in tanto timore rerum tuis gravissimis occupationibus obstreperem hisce otiosis fabulis. Illustrissimo Parenti Tuo iussi reddi refutationem pophetae tractatus Theologico politici, ut vocatur, quam Reinerius Mansveldius, qui in hac Academia philosophiam docuit, concinnavit, quae in Tuum adventum servabitur. Orationem, qua Serenissimo Principi adventum in hanc urbem antemenses aliquot gratulatus sum, spero Tibi traditam esse. Vale Nobilissime Zelemi, & me amare perge. Trajecti a. d. XVII Sextil. 1617.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]